



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

X. Disputatur de suppositiis Danielis scriptionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

à quibus at-
tentata est
Susanna pu-
dicitia.

ferri, defloccatos illos & impudicos Senes Ebræarum mulierum pudicitia hac arte illudere fuisse solitos, cum apud eas in privatis colloquiis identidem prædicaret uterque, concessum sibi à Deo, ut Christum gigneret, id lupinis auribus accipientes simplices feminas corporis sui copiam impius viris sine mora fecisse, at Susannæ castitati cum pari astu essent insidiati, vafritiem illorum prudentissimam feminam elusisse: nomina autem illis Achabo filio Coliæ, & Sedecia filio Maasæ fuisse, quos Jeremias his verbis incessit: *Ponat te Dominus, sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne, pro eo quod fecerint sultitiam in Israël, & mæchati sunt in uxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis: ego sum iudex & testis, dicit Dominus.* Nam quod ignis supplicium infanti Susannæ falso testimonio parassent, poenam eandem, juxta Deuteronomii præceptum, quo talionis poena sancitur, relatam ipsis fuisse Ebræi volunt: cum & Chaldæi in adulteros igne animadvertere solerent, sicuti & in Chananæa ante Legem fieri solitum fuisse dicitur ex Judæ & Thamaris historia. Atque hanc narrationem, sed interpolatam Thalmudistæ recinunt. Syrus Paraphrastes ex editione Heraclienfi, non Achabum & Sedeciam, sed Amidum & Abidum appellat. Utur est, quod Senes fuisse dicuntur, id potius eorum dignitatem notat quam ætatem. Ebraice erat זקנים. Sic זקנים apud Græcos *Senem & Senatorem* sonat; *אֲבִירֵי מִצְרַיִם*, *Senem & Sacerdotem*. Hinc Senior Latinis. Gellius: *Seniorum hominum, & Romæ nobilium, atque in morum disciplinarumque veterum doctrina, memoriaque præstantium, disceptatio quedam fuit.* Ex Latino *Senior*, Gallicum *Seigneur*. Sic *Senem Montis, Le Vicil de la Montagne*, appellat Historici nostrates Regem Assassinorum, sive potius Haschischorum, שֵׁיב אֶלְהֵינוּ: cum appellari debuisset, *Dominus Gebal*, זְקֵן הַגִּבְעָה. Nam זְקֵן, *Dominum*, sive *Principem* significat hoc loco. Item *Gebal*, & regionem hujus nominis sub monte Libano sitam, & *montem* quoque apud Arabes significat. Vera esse, quæ proponimus, non inficiabitur, qui Benjaminum Tudelensem legerit. Cujus Interpres (id enim silentio præterire non possum) in puerlem hoc loco incidit errorem, cum ait Montanos omnibus passim esse terroni, *quia reges serra dissecant: cum vertere debuisset, quia reges dolo interficiunt.* Decepit eum vox מַסְרָה, cujus radix est מָסַר, quæ dictio sonat, *dolo prodidit, & serra dissecuit.* Ex his quæ supra dixi, potest existimari quam non absurde, nec sine causa conjectarit Origenes, Judæos gentis suæ, optimatumque suorum famæ consulentes, tanti dedecoris memoriam sustulisse.

Dispensatur
de suppositi-
titiis Danie-
lis scriptioni-
bus.
Decc. Part. 2.
Caus. 27.
Quest. 1. cap.
16.

X. Fecit præstans Danielis fama, & explicandis potissimum somniis celebrata, ut vetus quidam Onirocriticorum Auctor operi suo Somnialiorum Danielis nomen falso præscriberet. Ejus usum damnant Decreta Gratiani, ut pote supposititii & impii. At incertum est, idne, vel simile quid notaverit Synopsis, cum inter Apocrypha Daniellem collocavit. Certe Additamenta Danielis non reperiuntur, quæ inter legitimos hujus Prophetæ factus ab eo recensentur. Ego vero & Latinam Christiani hominis scripturam esse puto, cum nulla ejus appareat mentio, vel in Artemidoro, vel in Achmete, nec valde antiquam, cum inter eos qui ante Artemidorum idem tractaverunt argumentum, nomen Danielis nusquam extet.

Probatur
Prophetia
Danielis ymo-
tome & anti-
quitas.
Dan. 7. 1, 2.
Dan. 8. 26.
Dan. 12. 4.
Ezech. 14. 14.
1. 20. & cap.
23. 2, 3, 4.
Dan. 9. 3, 4.

XI. Sed jam tempus est ut ad probandam Libri hujus *אֲנִיִּים* & antiquitatem nos accingamus. Daniellem ejus esse scriptorem, clausula hæc indicat è septimo capite, in qua sic disserit: *Anno primo Balsasar, regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitis ejus in cubili suo: & somnium scribens brevi sermone comprehendit; summamque perstringens ait: Videbam in visione mea nocte.* Item istud è sequenti capite: *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. Et ego Daniel langui.* Et id etiam è capite duodecimo: *Tu autem Daniel clande sermones, & signa Librum usque ad tempus statutum. Et vidi ego Daniel.* Præclara ad hæc Danielis mentio apud Ezechielem, sic tanquam viri pietate & sapientia longe præstantis. Scripserat Daniel nono capite: *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in jejuniis, sacco, & cinere. Et oravi Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi: Obscuro Domine Deus, magne, & terribilis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Manifesto hæc imitatus est Nehemias primo capite: Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, & flevi, & luxi diebus multis: jejunabam & orabam ante faciem Dei celi; & dixi: Quæso Domine Deus celi fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiant mandata tua. Librum eundem se versavisse abunde testificatus est Mathathias, cum ait primo Machabæicorum: *Ananias, & Azarias, & Misael, credentes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.* Daniellem notant ista ex Epistola ad Ebræos: *Obstraverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis.* Daniellem vero Christus nominatim appellavit, cum dixit apud Matthæum: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem**

Neh. 1. 4.

1. Mach. 2. 59.
60.

Ebr. 11. 33.

Matth. 24. 15.